



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis

**Asseburg, Wilhelm Anton von der
Paderbornae, 1764**

Tempore Hiemali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](#)



DIE IV. DECEMB.

S. BARBARÆ VIRG. & MART.

Duplex

Omnia de com. Virg. prater propria. Oratio.

Deus, fragilitatis humanæ reparator, qui Beatam Barbaram virginem fidei lumine illustratam per martyrii palmam in gloriâ tuâ sublimasti: tribue nobis, quæsumus, piis ejus meritis, & intercessione, in omni tribulatione subsidium, & post mundanas varietates ejusdem gloriæ effici participes. Per Dom.

*Lectio I. Noct. de Scriptura.
IN II. NOCTURNO Lectio IV.*

Barbara Nicomediensis virgo Dioscoro patre nata nobili quidem ac divite, sed impietati in primis dito, ab ineunte ætate cælestium contemplationi assiduè intenta, pietatis studium divinitùs hausit: atque ita Christo adhærere statuit, ut nullâ vi, aut minis, nullâ propositâ spe ad

ad matrimonium adduci potuerit,
stultam fore dictitans, se jam semel
sponso dicatam , terrenas nuptias
inire.

R. Propter veritatem , & man-
suetudinem , & justitiam : * Et de-
ducet te mirabiliter dextera tua. y.
Specie tuâ , & pulchritudine tuâ in-
tende , prosperè procede , & regna.
Et deducet.

Lectio V.

Hanc dum pater stricto gladio con-
fossurus insequitur , saxum in-
gens , quod viam intercludebat , di-
vinâ vi repente disruptum , fugien-
ti transitum præbuit . Dioscorus fi-
liam indicio pastoris inventam , pu-
gnis & calcibus fœdè contusam cri-
nibus raptans , per montis aspera do-
mum retraxit , & ream Christianæ
religionis apud Martianum præsidem
provinciæ detulit ; Martianus vir-
ginem blanditiis primùm , & verbo-

P. Hiegm.

A 2

ruin

rum illecebris tentat; deinde ubi hæc non procedunt, vestibus nudatam, imperat nervis cædi, atque ut dolor recrudesceret, vulnera præacutarum testularum attritu perficari, ac demum in obscurum carcerem retrudi. Hanc mediâ nocte, clarissimo immisso lumine Christus invisit, suavissimisque verbis consolatus, atque ad reliquum certamen fortiter subeundum cohortatus, momento sanavit.

R. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiae. V. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. Propterea.

Lectio VI.

Postridiè è carcere educta, cùm Christum nihilosecius profiteretur, ferreis ungulis dilaceratur, latera tædis ardentibus aduruntur, caput

put malleolorum crebris ictibus per-
tunditur. Ubera ferro avelluntur:
ac ne dolori pudor deesset, castissima
virgo nuda per urbis vicos circum-
ducta flagellatur. Tandemque ab
eodem judice capit is damnata, pro-
prii parentis manu detruncatur. Am-
putatâ cervice, impius pater non-
dum supplicii locum exceſſerat, cum
subito fulmine de cælo tactus, ani-
mam exhalavit. Corpus Barbaræ Va-
lentinus quidam vir pius, hymnis ex
Christiano more prosequens, hono-
rifīcè sepelivit. Passa est Nicoine-
diæ in persecuzione Maximini.

R. Afferentur Regi virgines post
eam, proximæ ejus, * Afferentur ti-
bi in lætitiâ & exultatione. ¶. Spe-
cie tuâ, & pulchritudine tuâ inten-
de, prosperè procede, & regna.
Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evang. Simile est Re-

gnum cœlorum decem virginibus,
ut in communi. *Missa.* Loquebar.

Die XXII. Januarii.

**SS. VINCENTII & ANASTASII
MARTYRUM.**

*In Diœces. Paderb. Duplex reliqua ut in Breviario
Romano.*

Die XXVII. Januarii.

**S. JULIANI EPISC. CENOM.
CONFESSORIS.**

Duplex Diœces.

*Omnia de communi Conf. Pontificis
præter sequentia.*

Oratio.

Deus, qui Ecclesiæ tuæ Beatum Julianum mirabilem tribuisti Doctorem; concede propitius: ut hunc apud te pium mereamur semper habere intercessorem. Per Dominum nostrum.

Lectio I. Nocturni, de Scriptura.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV,

Beatulus Julianus primus fuit Cenomanensium Episcopus, quem cives

cives maximo semper in honore ha-
buerunt, eumque tamquam Apo-
stolum venerati sunt. Is a sancto
Petro Apostolo disseminandæ Chri-
stianæ religionis gratiâ in Gallias mis-
sus, Cenomannum venit: ubi aper-
tum propagandæ religionis campum
nactus, plurimos ad Christum con-
vertit, quos & multis miraculis in
fide suscepit confirmavit. Quorum
primum & memorabile illud extitit,
quod, cum cives aquæ penuriâ la-
borantes videret, cuspidem baculi,
quem manu gestabat, humi defi-
gens, fusis ad Deum precibus, im-
petravit, ut inde tons vivus scaturiret.
Cujus usus continuus perseve-
rans, & divinitatis potentiam, &
beati Juliani meritum cunctis de-
monstrat. R. *Inveni David &c.*

Lectio V.

Erat tunc temporis Princeps, sive
Dux civitatis Defensor dictus,

A 4

qui

qui auditis, quanta per beatum Julianum Deus operabatur: eum ad se accersivit. Accedens Pontifex, ante aulæ Principis atrium, obvium habuit cæcum, quem, auxilium efflagitantem, invocato Christi nomine, & crucis impresso signo, perfectæ sanitati restituit. Eā re commotus Princeps, genibus Sancti advolvitur, & cum totâ suâ familiâ, & multâ nobilium turbâ baptizatur: domumque suam beato Juliano in ecclesiam consecrandam tradidit. Ducis exemplum secuti ferè omnes baptismi lavacro regenerati sunt.

R. Posui adjutorium &c.

Lectio VI.

Mirum, quantâ animi alacritate tota provincia prædicatione Juliani, & miraculis ab eo factis commota, collum jugo Christi submiserit: ita ut ad miraculum suscitatî cujusdam pueri, viginti millia hominum

hominum fidem susceperint. Quàm plurimi bona sua ad Juliani pedes afferebant, alii prædia sua Ecclesiæ donabant, alii domos suas in oratoria, & temploa consecrari rogabant. Vix ullus ad eum accessit, qui, quod peteret. Juliani precibus à Deo non sit consecutus. Tandem, postquam sanctus Antistes provinciam omnem fidei lumine illustrasset, à dæmone obsessos liberasset, ægros sanitati restituisset, vincitos in carcere exire liberos fecisset, multa idolorum temploa funditus evertisset, plenus dierum, gloriosus meritis migravit in cœlum, functus munere Episcopali & Apostolico annis quadraginta septem, sepultusque est magno cum honore in Basilicâ, cuius ipse fundamenta jecerat, in cœmeterio Christianorum dicto.

Bx. Iste est qui ante Deum &c.

A 5

IN

IN III. NOCTURNO.

*Homilia in Evangelium, Homo
peregrè proficiscens, de communi.*

*Missa: Statuit. de com. Conf. Pont.
Vesp. de seq. com. præc. & S. Agne-
tis 2dō.*

Die XXVIII. Januarii.

S. CAROLI MAGNI CONF.

Duplex Majus Diæces.

*Omnia de communi Conf. non Pont.
præter Sequentia.*

Oratio.

Deus, qui Beatum Carolum Con-
fessorem tuum de terreno regno
ad cœlestis regni gloriam transtuli-
sti: ejus quæsumus meritis & inter-
cessione Regis Regum JESU CHRISTI
Filii tui facias nos esse consortes. Per
eumdem Dominum.

*Lectio I. Nocturni: Beatus vir.
de com. Conf.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Carolus Rex, ex illustri Franco-
rum

rum sanguine patre Pipino natus,
 ob rerum gestarum magnitudinem
 dictus magnus, ob zelum religionis,
 quam in Septentrione potissimum
 propagavit, in Concilio Mogunti-
 no appellatus est Christianissimus:
 primus fuit, qui à Leone Papa ter-
 tio Imperator coronatus, Imperium
 occidentis restituit, præter liberali-
 um artium scientiam sacras quoque
 litteras sic perspectas habuit, ut ipse
 discipulus Magistrum suum Alcari-
 num eruditet, & quæstiones ab eo-
 dem sibi positas expediret. Petitis
 ab Adriano Papa & impetratis can-
 toribus, cantum Gregorianum in
 Franciâ, Germaniâque instituen-
 dum, hymnosque Ecclesiasticos ma-
 gnâ ex parte conscribendos curavit.
 Bonis artibus provehendis, gemi-
 nas academias Ticinensem & Pari-
 siensem instituit.

B. Ho-

R. Honestum fecit illum &c.

Lectio V.

In bello porrò singularem fortitudinem & felicitatem à Deo consecutus fuit. Italiam à Longobardorum oppressione liberavit. Saxonicum bellum ad triginta tres annos indefessus sustinuit, Hungaricum ad octennium: plura alia felici omnia eventu gessit, quod Carolus Ecclesiæ propugnator à superno cœli Imperatore defenderetur, & apertis sœpè signis juvaretur. Nam & Saxones ab oppugnatione castri Sigisburgi, Carolo absente, divinitus territi fugere, & primo Saxonico tumultu in maximâ aquationis inopia drepentè largissimæ undæ exiliierunt. Quibus totus exercitus jam triduo siti anhelans recreatus est. Conciliabat inter cætera Carolo vel hostium animos, mira ejus in viatos clementia. Constat enim Saxonibus,

bus, toties rebellantibus, toties perduellibus, victis tandem, non aliam ab eo legem datam, quam ut abjectis idolis Christum colerent. Accedebat ad hæc liberalitas in egentes & peregrinos, quibus non tantum regia ipsius, sed regnum penè totum abundabat. Quin & ubique terrarum Christianos pauperes missis eleemosynis adjuvabat. Cœnobia quatuor & viginti erexit & dottavit, atque litteram auream ducendorum pondo cuique misit. Binas Metropolitanas, novem Episcopales sedes posuit, inter quas & Hildesheimensem in Aulicâ inchoavit. Vestis quotidiana parùm à communī & plebeiâ differebat, nec nisi summis Christi ac Divorum solemnitatibus auro gemmísque ornatus apparebat. Vestem quoque cilicinam per majorem vitæ partem gestavit.

R. Ama-

R^e. Amavit eum Dominus &c.

Lectione VI.

Voti causâ Romam quater adiit,
ob quod mortuo aurea pera ex
humeris suspensa fuit. Officium di-
vinum assiduè obivit, canentibus
que modestè accinebat. Hanc ejus
pietatem Widekindus Saxonum
Princeps coram inspecturus, heb-
domadâ sanctâ mendici habitu Ca-
roli castra adiit, ubi Paschæ die vi-
so stupendo in Sanctâ Eucharistiâ
miraculo ad Christi fidem animum
adjecit, Mindæque novo Pontifici
futuro sacram in Saxoniâ sedem ob-
tulit. Habitum porrò sacrum in Ec-
clesiæ ministris Carolus sic amavit,
ut ne januæ quidem tutelam geren-
tes prophanâ permiserit veste munus
suum obire. Temperantiæ peramans,
lautas cœnas raro instruebat: Ter
bibere super mensam, raro sæpius
confuevit. Legibus etiam vetuit,

ne

ne quis alterum ad pocula, & ebrietatem invitaret. Triennio antem mortem, opum suarum duas tertias Ecclesiis in Imperio suo, Metropolitani, aliisque assignavit. Diem denique extremum, multis prodigiis praesignatum obiit vigesimo octavo Januarii annos natus duos & septuaginta, anno post Christum natum octingentesimo decimo quarto, atque in Basilicâ Dei Genitricis Virginis Mariæ à se quam magnificenterissimè extructâ Aquisgrani conditus fuit. *R. Iste homo &c.*

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium: Sint lumbi vestri praecincti de communi.

9na Lect. & com. S. Agnetis 2dō in Laud. & Missa: Os Justi. de com. Conf.

Die XIV. Februarii.

S. VALENTINI MARTYRIS,

Duplex Diaconus.

*Omnia de communi unius martyris
prater sequentia.*

Ora-

Oratio.

Prästa quæsumus omnipotens Deus: ut qui beati Valentini Martyris tui natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus, ejus intercessione liberemur. Per Dominum nostrum.

Lectiones 1. Nocturni de Scripturâ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Valentinus Presbyter sapientiae eximiae, Claudio imperatore in Christianos læviente, Christianæ religionis accusatus, ejus jussu in vincula conjectus est. Biduo post ab Imperatore interrogatus, cum idolorum vanitatem gravissimis verbis confutaret, ipsumque Claudium ad pœnitentiam crudelitatis & Christi fidem hortaretur; Calphurnio praefecto traditur. Qui Valentimum ad Asterium transmittit; mandans, ut hominem, quâ possit ratione, ad deo-

deorum cultum adducat. A quo
cùm audisset Asterius Christum esse
verum lumen, & illuminare omnem
hominem venientem in hunc mun-
dum: periculum ejus rei se factu-
rum dixit in filiâ, quæ ante bienni-
um oculorum lumen amiserat.

R. Honestum fecit illum, &c.

Lectio V.

Valentinus factâ oratione, manu-
que super oculos puellæ adhibi-
tâ, ei in momento visum restituit.
Quo miraculo factum est, ut ipse
quoque Asterius cum conjugè &
universâ familiâ post triduanum je-
junium à Valentino baptizaretur.
Qui omnes, re ad Imperatorem de-
latâ, comprehensi, atque ad ostia
Tiberina ducti, pro Christi nomine
interfecti sunt. Valentinus autem
post longum carcerem fustibus ca-
sus, capite plectitur viâ Flaminianâ
juxta pontem Milvium. Ejus cor-

P. Hicn,

B

pus

pus Sabellina quædam pia matrona eodem in loco sepelivit. Ubi poste à sanctus Theodorus Papa Ecclesiam Martyris nomine ædificavit, multis que locupletavit donis.

R. Desiderium animæ ejus, &c.
Sermo S. Augustini Episcopi. Serm. 44. de sanctis.
Lettio VI.

Triumphalis Beati Martyris Valentini dies hodiè nobis anniversariâ celebritate recurrit: cuius glorificationi sicut congaudet Ecclesia, sic ejus proponit sequenda vestigia. Si enim compatimur, & conglorificabimur. In cuius glorioso agone duo nobis præcipue consideranda sunt: indurata videlicet tortoris sævitia, & Martyris invicta patientia: sævitia tortoris, ut eam detestemur; patientia Martyris, ut eam imitemur. Audi Psalmistam adversus malitiam increpantem: Noli æmulari in malignantibus, quoniam

niam tanquam fœnum velociter a-
rescent. Quod autem adversus ma-
lignantes patientia exhibenda sit, au-
di Apostolum suadentem: Patientia
vobis necessaria est, ut reportetis re-
promissiones.

R. Stola jucunditatis, &c.

IN III NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum, c. 10.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit JESUS disci-
pulis suis: Nolite arbitrari, quia
pacem venerim mittere in terram:
non veni pacem mittere, sed gla-
dium. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. I. in Matth. c. 10.

Suprà dixerat, quod dico vobis in
tenebris, dicte in lumine; &
quod in aure auditis, prædictate su-
per tecta. Nunc infert, quid post
prædicationem sequatur. Ad fidem
Christi totus orbis contra se divisus
est: unaquæque domus & infideles

B 2.

&

& credentes habuit, & propterea
bellum missum est bonum, ut rum-
peretur pax mala. Tale quid & in
Genesi adversus rebelles homines,
qui moti fuerant de Oriente, & tur-
rem extruere festinabant, per quam
cæli alta penetrarent, fecisse scribi-
tur Deus, ut divideret linguas eo-
rum.

R. Corona aurea &c.

Lectio VIII.

Veni enim separare hominem ad-
versus patrem suum. Hic lo-
cus prope iisdem verbis in Michæa
Prophetâ scribitur. Et notandum,
ubicumque de veteri Testamento
testimonium ponitur, utrum sensus
tantum, an sermo consentiat. Qui
amat patrem aut matrem plus quam
me, non est me dignus. Qui antè
præmiserat, Non veni pacem mit-
tere, sed gladium, & dividere ho-
mines adversus patrem & matrem,
nurum

nurum & socrum; ne quis pietatem religioni anteferret, subjicit dicens: Qui amat patrem aut matrem plus quam me. Et in Cantico legimus canticorum: Ordinavit in me charitatem. Hic ordo in omni affectu necessarius est: ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios.

R. Hic est verè Martyr, &c.

Lectio IX.

Ordo pulcherrimus: ad prædicationem mittit, docet pericula non timenda, affectum subjicit religioni. Aurum supra tulerat, æs de zonâ excusserat. Dura Evangelistarum conditio. Unde ergo sumptus, unde vietûs necessaria? Austeritatem mandatorum spe temperat promissorum. Qui recipit, inquiens, vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit, ut in suscipiendis Apostolis unusquisque credentium Christum se suscepisse arbitretur.

Te Deum Laudamus.

B 3

OF-

OFFIC. HEBDOMADARIUM
IN HONOREM
S. LIBORII
Episcopi & Confessoris
Sanctissimo D. N. D.
CLEMENTE XII.
*in Civitate et Diœcesi
Paderbornensi*

Extra

Adventum, Quadragesimam, Quatuor Tempora,
& Vigilias, Die, festo novem lectionum non
impedita sub ritu semiduplici recitari concessum.

Omnia dicuntur de communi Con-
fessoris Pontificis præter ea, quæ se-
quuntur.

In Hymno: Iste Confessor. mut.
3tius versus.

Ad Magnificat in primis vesperis
Antiphona: Sancte Libori Confessor
Christi miseris tuis subveni servis,
& iram, quam meremur, precatu
tuo

tuo averte, ne de gregis tui dainno
inimicus exultet.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam in Confessione Sancti Nominis tui solidâsti: præsta quæsumus; ut quæ Sancti Liborii Confessoris tui atque Pontificis recolit commemorationem, ejus apud te suffragiis ab omni mereatur adversitate liberari. Per Dominum &c.

In primo Nocturno Lectiones de Script. occurr.

In 2do et 3tio Noct. Lection. ordine infer. posito.

Ad Benedictus Antiphona: O quam venerandus es Libori Confessor Christi, qui terrena contempsisti, & Cœli januam exultans petisti, modò vicitor fulges in virtute cœlesti; ideo te supplices exoramus, ut intercedas pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

In 2. Vesp. ad Magnif. Antiph. Sancte Libori Confessor Domini pretiose, adesto nostris precibus pius, ac propitijs,

Pro Mensibus Januario, & Februario.

IN IL NOCTURNO.

Lectio IV.

Beatius Liborius natione gallus, ab ineunte aetate honestis moribus praeditus, & liberalibus instrutus disciplinis, futuræ sanctitatis specimen dedit: modestiâ & humilitate fuit singulari: divino cultui valde deditus, animi sui devotionem frequenti psalmorum modulatione testabatur. Ejus virtutibus & meritis commotus populus Cenomannensis, ipsum in Episcopum consecrari petiit: ejus vocationi cum resistere non posset, onus subire cogitur. In eâ dignitate constitutus, omnia Episcopi munia sedulo obivit: sed præcipue enituit in pauperum curâ,

curâ, quorum angustiis & necessitatibus sublevandis totus insistebat.

R. Inveni David &c.

Lectio V.

Zelo divini cultûs non mediocriter accensus, decem & septem Ecclesias in suâ Diœcesi, tûm propriis sumptibus, tûm quorumdam nobilium fultus auxilio ædificari curavit: quarum census itâ destinavit, ut eorum pars ad majoris seu Cathedralis Ecclesiæ luminaria deserviret. Vigilantem & indefessum in suo Episcopali munere animum Deus multis decoravit miraculis: ipsius enim meritis cæci quamplurimi visum recepere, & dæmones ab obsessis corporibus recedere coacti sunt.

R. Posui adjutorium &c.

Lectio VI.

Beato Martino Turonensium Archiepiscopo fuit valdè familiaris, & ejus præsentia, antequam diem extre-

extremum clauderet, frui meruit.
 Nam Angelicâ revelatione monitus
 Martinus ad Liborium accessit, quem
 lecto humili strato cilicio recumben-
 tem, & ad futuram vitam suspiran-
 tem invenit. Eumque suâ benedi-
 ctione consolatus, postea mortuum
 honorificè sepeliri curavit in Eccle-
 siâ Apostolorum Petri & Pauli, quam
 beatus Julianus olim construxerat:
 ubi sancti Liborii corpus requievit,
 donec postea in Saxoniam, Deo ita
 disponente, Reliquiae ejus translatæ
 sunt.

Rg. Iste est &c.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Gregorii Papa in Evangelium:

Homo peregrè proficiscens, uti
 in Breviario de com. Conf. Pont.

Pra Mensibus Martio & Aprilio.

IN II. NOCTURNO.

*Sermo S. Joannis Chrysostomi. in Cap. 15. Epist.
 ad Rom. Serm. 29. circa finem.*

Lectio

Lectio IV.

Christum diligens, & gregem illius utique diligit. Et Moysen tum primum super populum Judæorum posuit, quando, quâ esset in illum benevolentia, re ipsâ jam declaraverat. David quoque simili modo regno inauguratus est, posteaquam apparuerat, quâm amico esset in populum affectu. Ita quippe juvenis adhuc, populi causâ doluit, ac zelavit, ut & animam suam exponeret, cùm videlicet barbarum illum è medio tollebat. Quod verò dicebat, quid dabitur ei, qui alienigenam hunc interficerit? non ideo dicebat, quod mercedem exigeret, sed quo sibi crederetur, & in pugnam cum illo committeretur! nam cùm adeptâ jam victoriâ ad Regem esset ingressus, nihil de mercede minimis.

R. Inveni David &c.

Lectio

Lectio V.

Et Samuel quoque benignus erat, & amator populi: unde & dicebat: Absit autem hoc à me peccatum, ut cessem pro vobis orare Dominum. Ita & Paulus, immò non ita, sed multò plus omnibus ardebat erga subditos. Unde & discipulos ita erga se animavit, ut diceret: Si possibile fuisset, oculos vestros eruissetis, mihiique dedissetis. Et Christus optimi Pastoris regulam proferens dixit: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus. Sunt enim Sanctorum animæ vehementer mites, & hominum amantes, non solum erga domesticos, sed alienos, ita ut hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Propterea & Sapiens quispiam dixit: Justus miseretur animarum jumentorum suorum. Si jumentorum, multò magis hominum.

B.

R. Posui adjutorium &c.

Lectio VI.

Verum quoniam pecorum mentionem feci, perpendamus & ovium pastores illos, qui in Cappadocum regione sunt, qualia & quanta pro pecorum suorum custodiâ patiantur. Illi sæpenumerò universum triduum nive obruti perdurant. Dicuntur autem, & qui in Lybiâ sunt, non minora mala ferre, dum integros menses difficilem illam solitudinem, pessimarumque bestiarum plenam vagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentiae impendunt pastores illi; quam quæso excusationem habebimus, quibus rationales animæ concreditæ sunt, quod profundum hunc somnum dormimus? An ignoras gregis hujus dignitatem? an illius gratiâ Dominus tuus innumera non fecit? an non postremò & sanguinem suum fudit?

fudit? Tu verò requiem quæris? Et quid poterit pejus esse pastoribus istis? *Rg.* Iste est &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 25.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Ex Homil. 79. in Matth. circa medium.

Talenta hic pro eo quod unusquisque facere potest, accipimus, sive auctoritate protegere, sive pecuniis juvare, sive doctrinâ admonere, sive aliâ quapiam re proximis prodesse queas. Nemo secum dicat, cum unum talentum habeam, nihil possum efficere: potes profectò ex eâ unâ re solâ comprobari. Non es pauperior illâ viduâ, non es Petro atque Joanne rusterior: qui quam-

quamvis rudes simul atque illiterati fuerunt, quoniam magno studio communem utilitatem complexi fuerant, cœlorum principes facti sunt.

R. Amavit eum &c.

Lectio VIII.

Quippe nulla res Deo gratior est, quam ut universam vitam ad commune commodum conferas. Idcirco ratione atque oratione nos Deus decoravit, mentem & ingenium concessit, manus, pedes, vires corporis dedit, ut his omnibus & nos ipsos & proximos tutemur. Non enim ad agendas gratias solummodo confert oratio, verum etiam ad docendum, & admonendum perutilis est: quâ in re si eâ diligenter utemur, Dominum; sin verò in contrariis, diabolum imitabimur.

R. Sint lumbi &c.

Lectio

Lectio IX.

Nam & Petrus, quandoquidem Christum confitebatur, quasi ea dicens quæ Patris sunt, beatificabatur: quòd autem crucem horrebat atque repellebat, quasi ea quæ Diaboli sunt sapiens, acriter increpabatur. Si ergo ignoratione crucem recusando reprehensus est, quam nos sponte peccantes veniam impetrabimus? Ea ergo loquamur, quæ Christi verba esse confessim cognoscuntur.

